



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Io. Iac. Chiffletii De Linteis Sepulchralibus Christi
Servatoris Crisis Historica**

Chifflet, Jean-Jacques

Antverpiae, 1624

Cap. XXXIII. De Sudario Edesseno.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64456](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64456)

CAPVT XXXIII.

De Sudario Edesseno.

PRAETER imagines sepulchrales Christi Do-
 mini, aliæ fuerunt in Orbe Christiano ἀχ-
 ροποίησι, quas ipse viuens antequam pateretur, &
 in passione ipsâ diuinitûs impressit in linteis. Φέ-
 ρετο ἡ καὶ περὶ ἰσορίας, inquit Ioannes Damascenus, ὡς ὁ
 Κύριος, Ἀυγάρης τῆς Ἐδεσσηνῶν πόλεως βασιλεύοντι,
 ζωγράφον ἀποσείλαντι τὸ τῆς Κυρίου ὁμοιογραφήσαι
 εἰκόνα, μὴ διωθῆντι τῆς ζωγράφου διὰ τὸ ἀποσείλῃ-
 σαι τῆς αἰσώσεως λαμπρότητα, αὐτὸς ἰμάτιον τῆς οὐκείῃ
 αἰσώσεως τῆς θείας ζωτικῆς ἰσότητος, ἐναπεμάξατο τῆς
 ἰματίου τὸ ἑαυτὸ ἀφικόνισμα, καὶ ἔτις ἀπέσχετο τῆς
 ποδῶν τῆς Ἀυγάρης. *Historia proditum est, cum*
Abagarus Edessæ Rex eo nomine pictorem misisset,
ut Domini imaginem exprimeret; neque id pictor ob
splendorem ex ipsius vultu manantem consequi potuis-
set, Dominum ipsum diuinæ suæ ac viuificæ faciei
pallium admouisse, imaginemq; suam ei impressisse;
sicq; illud ad Abagarum, ut ipsius cupiditati satisfac-
ceret, misisse. Eadem ferè è ciuitatis Edessæ tabula-
 Lib. 2. c. 7. *riis & archiuis habet Nicephorus: Eo quo in Chri-*
stum desiderio tenebatur percussus (Abgarus Rex
Edessenorum) pictorem eximium ad eum misit, eique

ut

ut diligenter & accuratè faciem eius in picturâ effin-
 geret, imaginemq; pro desiderato illo sibi afferret, im-
 peravit. Et ille quidem venit, atque in loco sublimiore
 stans, pingere Christi vultum, ut decebat, conabatur.
 Cum verò ceptum opus non succederet (diuinus quip-
 pe splendor & gratia in eius vultu coruscans impedi-
 mento erat) re eâ cognitâ, Saluator textum lineum
 petit, in eoq; prius loto faciem suam exprimit, & ad
 Abgarum mittit. Eandem Imaginem postea Leo
 Ecclesiæ Constantinopolitanæ Lector, cum de-
 scendisset in Syriam cum Regiis Apocrifariis,
 Edessa adorari & honorari à populo vidit, ut ipsemet
 testatur in secundâ^a Synodo Nicænâ.^b Nicepho-^a A&S.
 rus alibi, & Euagrius antiquior narrant, quomo-^b Lib. 17.
 do vrbs Edessa à Chosroë Perfarū Rege oppugna-^c c. 26.
 ta, seruata fuerit per illam τὴν θεοτεκτον εἰκόνα ἣν
 αὐτῶν χεῖρες οὐκ εἰργάσαντο, diuinitus fabricatam
 Imaginem, quam hominum manus non effinxerant;
 quamque vocabant Edesseni sua ciuitatis Custo-
 dem & Conseruatricem; ex Oratione Constantini
 Porphyrogeniti. Eam tandem translata fuisse
 Edessâ Constantinopolim, ostendit Baronius an-
 no Christi D. cccc. xliv. Constantini cum Ro-^{Anno}
 mano Lacapeno Imperij consorte xxxiii. Cau-^{944. n. 5.}
 sam & modum prisca Scriptores habent. Zona-^{Tom. 3.}
 ras in Romano Lacapeno: Τέτρα τῶν σκήπτρων καὶ
 Cc του-

τοῦτ' ὁ, καὶ τὸ ἀχρεῖστον ἐκτύωμα τῆς Σωτῆρος
 Χρῆστ' ὁ θεῖον χρεῖμα κτερον ἐκομίσθη πρὸς τὴν πωροκα-
 δημένην τῶν πόλεων. εἶχε μὲν γὰρ τῆς ἡ' Ἐδεσσα· ἡ δὲ
 ἀλώμα πρὸς τῶν Ῥωμαίων πολιορκείων αὐτὴν ἐκινδύ-
 νευεν, κατεχομένη πρὸς Ἀγαρηνῶν. ἵν' ἐν φύγοιεν οἱ Ἐδεσε-
 νοὶ τὴν ἐκπόρθησιν, λύτερον ταύτης τὸ θεῖον παρέχον ἐκ-
 τύωμα. *Eodem (Romano) rerum potiente, Christi*
effigies nullis facta manibus, et diuinitus in linteo ex-
pressa, in Imperatoriam urbem est translata. Eam-
tum Edessa habuerat; quæ cum in periculo excidij esset,
Agareni qui tum urbem tenebant, incolumitatem hac
effigie à Romanis redemerunt. Paulò aliter Curopala-
tes: Cùm Romanorum copiis Edessa obsideretur,
Edesseni malis obsidionis grauius oppressi, Legatos ad
Imperatorem miserunt, petentes ut exercitus ab obsi-
dione recederet; seq̃ polliciti sunt pretium daturos
sanctam Christi effigiem: solut à igitur obsidione, tra-
ditæ est Imago, et ad Regiam urbem producta, eam-
excipiente Imperatore, cum splendido atque decenti
satellitio, per Regij cubiculi Præfectum Theophanem.
 Rem totam, vti gesta est, oratione longâ profe-
 quitur Constantinus ipse Porphyrogenitus fi-
 lius, vbi scribit, Romanum Lacapenum (qui hu-
 ius translationis ergò Edessam miserat Abramium
 Samosatæ Episcopum) sedulò aduertisse, ne in
 traditione Imaginis deciperetur, néve antigra-
 pro

pro autographâ concederetur: extabat enim quædam alia, quæ descripta fuerat propter Persicum bellum; & altera similis, quæ celebrabatur in Ecclesiâ Nestorianorum: ambas penes se aliquanto tempore habere voluit Imperator, quas deinde archetypâ sibi traditâ restituit. Inde multis recenset Constantinus, quænam in itinere miracula virtute sacre Imaginis contigerint. *Cæci* (inquit) *ex improviso aspiciebant, & claudi reddebantur sani membris integris; saltabant qui longo tempore in lecto decubuerant, & sani fiebant quibus erat manus arida, & fugabatur omnis morbus & infirmitas.* Tum subiungit, Constantinopoli repositam in Phari templo, & ibi conseruatam *ad gloriam fidelium, custodiam Imperatorum, tutelam totius ciuitatis, & status Christianorum.* Celebrata est solemnis illa depositio decimâ sextâ Augusti, quâ die hæc habentur in Græcorum Menologio: *Commemoratio Imaginis non manu factæ Domini Dei & Saluatoris nostri IESV Christi ex vrbe Edeßâ egressæ, & in hanc à Deo seruatam & Regiam urbem deportatæ.* Circa hæc eadem tempora de hac Imagine hoc mirum contigit: *Photium Patrium Constantinus Porphyrogenitus Imp. miserat cum literis ad S. Paulum in monte Latro anachoretam. Ille cum ad virum sanctum peruenisset, datisque*

ac receptis iam litteris ad reditum accingeretur, unum ab eo Sanctus petiit, ut non manufacta Christi imagini, quam Mantile sanctum appellare mos est, lineum aequale velu applicaret, idq; sibi mittere non grauaretur. Factum est quod postulabat, missumq; velum ex animi sententiâ, quod cum expandisset, Christi effigiem in eo ad amussim expressam, & figuram figuræ exactissimè respondentem vidit; aliis autem nihil tale apparebat.

An. 944.

Hæc è sancti Pauli Vitâ recitat Baronius; quibus subdit, postea bellis ingruentibus, ipsaque ciuitate Constantinopolitanâ sæpè captâ, & ab hostibus direptâ, Dei prouidentiâ factū esse, vt eadem veneranda Imago Romam perlata fuerit, vbi hactenus colitur in titulo S. Siluestri. Alij Genuæ Liguriæ vrbe seruari volunt, in templo diui Bartholomæi. Haud dubiè primigenia est vno in loco; altera miraculo expressa in alio.

CAPVT XXXIV.

De Sudario Veronica.

PROPERABAT cum cruce Christus ad crucem, cum inter Ierosolymitanas mulieres, qua plangebant & lamentabantur eum, religiosa quædam femina, nomine Veronica, stans proforibus domus suæ, (quæ fuit angularis, teste Adri-
cho-

Luc. 23.